



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. III. Africae littora extima ad Oceanum sita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

Guinea, suos Episcopos: de quibus infrà dicturi sumus.

Ceterùm ad mare Mediterraneum obtinet hodiè Rex Catholicus in Africa *Oranū*, *Mazalquium*, *Melillam*, *Vellezum*, *Tingim* & *Septam*; & ad mare Atlanticum, tenet *Mezaganium*, *Laracham*, & *Mamoram*, præter arces in Aethiopia, Congo, Angola, Cefala, Mozambico, vicinisque locis fitas.

## CAPVT III.

AFRICAE LITTORA EXTIMA,  
*ad Oceanum sita.*

**E**T si apud Herodotum libr. 1. Plinium lib. 2. cap. 67. Solinum cap. ultimo, & Melam lib. 3. cap. 10. vestigia sint, Africam olim circumnavigatam fuisse: ipsæ tamen regiones ac gentes à Zona torrida (quæ falsò veteres exustam penitus & inhabitabilem crediderunt) ad Bonæ Spei promontorium omninò incognitæ fuerunt. Quas quidem magna suæ gentis gloria, & Christianæ fidei amplificacione Lusitani aperuerunt.

Auctor tanti operis ac nauigationis fuit *Henricus*, ordinis Equitum Christi Magister, Ioannis I. Lusitanæ Regis ( qui *Septam Mauris* eripuit ) filius, diuino, ut scri-

scribunt, monitu incitatus. Henrico igitur auctore, sub annum salutis 1420. vltra montem Athlantem (qui ad eum diem terminus nauigationis fuerat) leucas quadringentas viginti processum est ad montem Lænam; insulâ quoque *Maderâ* & alijs vasto in Oceano directis.

Sub Alfonso deinde quinto Rege tota illa Africæ ora, quam *Guineam* nuncupant, est cognita.

*Congo.* Ioannis II. æuo, quo Astrolabium ad nauticum vsum cœpit accommodari, regnum *Congi*, sub annum Christi 1485. est apertum.

*Caput Bonæ Spei.* Extremum Africæ promontorium, quod Bonæ Spei nuncupant, ex opposito terræ Australis Magellanicę situm, an. 1493. primus Diazius superauit.

*Mozambicum.* Mozambicum insula est exigua oræ Africanæ, magnæ illi insulæ Madagascari, quæ à S. Laurentio nomen accepit, obiecta. In Mozambico Rex Lusitanicæ nobile habet propugnaculum, Societas item Iesu illustre Collegium. In ea insula & Lusitani & Saraceni, genus hominum pacatissimum, suas vtrique sedes habent.

*Melinda.* Melinda, vrbs admodum populosa, caput est regni Melindæ: cuius quidem Rex & incolæ sunt Saraceni, Mahometis cultores. In vrbe tamen Melinda magno numero negotian-

gotiantur Lusitani, & liberum habent Christianæ Religionis exercitium.

Africâ totâ circumnavigatâ, Vascus Gamma, Lusitanus, ex Europæis primus an. 1497. in Indiam, Calecutum vsque, penetrauit.

## CAPUT IV.

DE AEGYPTI STATU,  
& Cophtis in ea.

**A**Egyptum, Africæ regionem celeberrimam, Nilus fl. permeat & mirificè fecundat. Eius olim metropolis fuit Alexandria, vrbs ab Alexandro Macedone condita, Patriarcharum olim Alexandrinorum, Regumque Aegypti sedes. Hodie Cayrum, quæ olim Memphis dicta, totius regionis caput censetur, emporium Orientis celeberrimum.

Proprios Reges Aegyptus habuit, ad annum vsque Christi 1517. quo Turcæ provinciam totam occuparunt.

Aegyptum itaque tenent hodie Arabes ac Turcæ: apud quos ignominiosum habetur indigenarum, Aegyptiorum scilicet veterum nomen ac genus.

In Aegypto, præter Iacobitas, maximo numero viuunt Cophti seu Cophtitæ, homines Christiani, qui hodieque circumci-

dun-